

Secundum, ut consideres dispositorem talis loci, qui plures dignitates essentialiter habuerit in tali loco. Tertium, ut uideas naturam loci, in quo est talis disposito, siue gubernator. Quibus diligenter pensatis, commisce unum cum alio, extrahendo inde compositionem eius accidentis. Nam si hæ tres considerationes in una natura conueniunt, id est, si concordauerint, non erit amplius aspiciendum. Si uero fuerint diuersæ, erit accidens secundum pluralitatem considerationum concordantium in una natura. Hæc Ptolemæus.

Alij, ut Arabes, primo considerant cuspidem domus cœli. Deinde dominum cuspidis, ultimo significatorem talis domus, ut pro secunda domo genituræ, ubi cuspis secundæ domus fuerit Tauri gradus 6, qui si saluus ab infortunis, & earum aspectibus fuerit inuentus, & dominus eius Venus fuerit salua, & huius domus significator Iupiter saluus ab infortunis & earum radijs extiterit, dicunt natum hunc ualde fortunatum in significatis secundæ domus. Deinde considerant etiam aphorismos Autenticorum, & ex illis componunt significata illarum domorum &c. Nam si maior pars uel omnes fortunati uel salui fuerint, pronunciant quòd natus generaliter fortunatus fiet, in significatis illius domus. Si autem maior pars, uel omnes infortunati uel impediti fuerint, contrarium erit.

An natus in generali fortunabitur, nec ne.



Ide quatuor, scilicet Ascendens, Dominum eius, Almutem figuræ natiuitatis, & Lunam, quoniam si maior pars eorum fortunati fuerint, iudicandum est, natum magis fortunatum quàm infortunatum pro maiori parte uitæ suæ, & hoc secundum maius & minus &c. Hac ergo generali noticia sic habita, ut inde postea ipsa noticia specialius habeatur per ordinem capitum præcedentium procedendum est, quid boni uel mali de earum significatis nato indicent. Vnde à capite de parentibus nati incipiendum censeo, deinde de fratribus nati, iuxta ordinem Capitum.

CAPVT SECVNDVN.

De parentibus nati & esse eorum.



Tatus parentum nati noscitur ex figura cuiuslibet nati, sed uerius ex figura primogeniti.

Primo considera quatuor loca, scilicet Solis in diurna genitura, Saturni in nocturna, pro statu patris. Locum Veneris in diurna genitura, Lunæ uero in nocturna, pro statu matris.

Secundo, considera gubernatores horum locorum. Si prædicta loca fuerint apta, & eorum gubernatores salui & non impediti, fuerintq; luminaria circumdata fortunatis stellis erraticis, quæ sunt in eorum Alhayz, & qui cum luminaribus tuam habuerint commixtionem, & maxime cum stellæ circumdantes Solem matutinales, Lunam uero circumdantes, uespertinales extiterint, significant statum parentum egregium & fortunatum.

Saturnus ac Venus in angulis, uel in Almugea propria orientales, decernunt manifestum fortunium parentum, si uero contrarium horum fuerit, ita quòd luminaria sint cursu uacua, & à nullis stellis circumdata, significant abiectiorem, humilitatem & uilitatem parentum, maxime si Saturni & Veneris locus fuerit inconueniens, uel malus.

M Planetæ